

sunt, & iniuria affecti, qui maiore, qui minore : fœminæ etiam nobilissimæ priuatæ bonis, & multæ libertate : aliis vetitus discessus, ex inculta & dissipata vrbe. Arcem Turci tenent, palatia ampla, olim habitacula principum & Dominorum, diruta, & inhabitata, quod nullus sit qui inhabitet. Vidi circuitum mænium, habitant Turci vigiles. Portam vnam arcis, Aga Ianizerorum, alteram Aga Asaporum seruant. Tecta palatiorum nudata Palatia ipsa facta (*page 4* :) præda militum. Ita cum nullus sit qui habitet, aut emere velit, & perpluunt, & deformant arcem. Pialius Bassa, qui cepit vrbe & arcem, 32 viridaria, & 12 magna palatia adscripsit sibi, & alia alii : & iam octauus agitur annus, et in tam paruo tempore magna facta est vrbe desolatio : nullus nobilis : nulla ingenua fœmina, nisi quas ætas, aut grauis, aut recentis natiuitatis fugere ex tot malis prohibuit. Remanserunt & aliquot monstra nobilitatis, qui olim fex & lutum erant. Multi Chii facti Turci, nonnullæ fœminæ : exactiones autem crebræ, vt qui fugere vult seruitutem, fiat Turcus oportet. Nam omnes Turci vbiq; gentium liberi sunt ab omni onere. Templâ intra arcem Turcus habet, præter Arulam quâdam, in qua sunt Dominicani. Extra vrbe Græci sunt omnes, & qui nobiles sunt curant populū &, in oneribus & exactionibus impositis & imponendis, ad illos recurritur. Franciscani aliquot in quadam domo extra vrbe. Sed & hi & Dominicani illi non diu Chii poterunt habitare. Vidi palatium erectum ex lapide quadrato, multis impensis, non habuisse qui emere vellet 300 Taleris.

In arce inueni matrem, vegeto adhuc corpore, sed callosis plantis, quod morbo grauata, lectum deserere non potuisset : somnium se videre, me conspecto putabat. Illi multum Turci detulerant mei nominis, qui quis essem ex facie ignorabant, gratia : & Quæstor çrarius regius, quem Heminium vocant, vt illi seruiretur omnibus suis mandauerat olim. Ita in arce habitabat, ex celeberrimo loco, vbi ego reliqueram, in quendam alium desertum a Turcis retracta : nã vexatur cordis tremore, cum Turcos videt : arcem ingressus deductus a duobus, illam inuisi, & concur- (*page 5* :) sus est ad me vniuersi suburbii & arcis factus : Turci sequebantur Christianos, ignorâtes quo

